

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia  
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

**Meier, Gebhard Theodor**

**Helmstadii, 1696**

**§. CXXVI.**

**urn:nbn:de:bsz:31-105465**

CXXVI. Explicanda itaq; sunt dicta quæ pro instauratione Reipublicæ Israelicæ afferri ex Prophetis solent, de Ecclesiâ N. T. ut demonstratum fuit. Neque enim insolens esse Scripturæ S. ut res N. T. describat sub imagine rerum V. T. vel ex unico Apostoli dicto Hebr. XII. v. 22. seqq. manifestum est: *Venistis, inquit ibi, ad montem Sion, ad urbem Dei viventis, ad Hierosolymam cœlestem &c.* ubi de Hebræis in Ecclesiâ N. T. existentibus agit, eosq; opponit iis qui venerunt ad montem Sinai, h. e. ad Eccleiam V. T. legi in monte Sinai datae tanquam pædagogo suo Gal. III. 24. subiectam. Nihilominus hisce suis Hebræis ea tribuit, quæ in V. T. locum saltem habere potuerunt, quod utique non fecisset, nisi scivisset plurima, imo potissima in Prophetis cœtui Sionis & urbi Hierosolymarum gentiique Israelitarum facta promissa ad Ecclesiam N. T. spectare. Hic itaq; locus Apostoli instar optimi Prophetarum clavis nobis esse poterit, ut ex eo discamus, qua ratione promissa Judæis facta, quæ tamen in ipfis nondum impleta cernimus, neq; implenda esse certi sumus, nihilominus ita possint explicari, ut Verbo Divino sua veritas in omnibus constet ac certa permaneat. Male proinde agunt Chiliaстæ, dum talia Prophetarum dicta secundum literam ubiq; interpretari volunt, & propter hanc incogitantiam in magnas sæpe absurditates prolabuntur, v. g. dum credunt in futuro seculo fore tantam etiam inter homines & bestias pacem, ut & cum rapacissimis bestiarum homines collusuri sint *Glaubensgespr.* p. 886. item nullam ibi fore noctem, sed noctem æqualem extituram claritate nostro diei; diem vero nostro septies clariorem, contra expressum Dei effatum Gen. VIII. vers. 22. Atq; ista ad resolutionem dictorum ad probandam Reipublicæ Judaicæ futuram

Y

in-

instauratem à Chiliaстis allatorum sufficiant. Cæda Animadv. argumenta, quæ majoris momenti virentur, jam in sequentibus sigillatim sunt discutienda; ubi etsi brevitatis obtinendæ causa quædam seponenda erunt, nihil tamen quod principali quæstioni dubium movere possit, intactum manebit.

CXXVII. Argumentum in Animadv. §. 10. propositum, cum nihil aliud probet quam tempora pacis Ecclesiæ aliquando futura esse, prætermitti potest, nec opus erit ut hoc loco scrupulose excutiamus, num dicta quæ ibi adducuntur implera sint nec ne? quoniam etiamsi implenda adhuc statuantur, dogma chilasticum inde tamen minime potest extrui. Neq; enim, licet futurum ponatur tempus, quo innumerabiles hostium in Ecclesiam se armantium copiæ auxilio Dei fundantur, & Ecclesia hoc modo feliciorē nanciscatur statum, inferri poterit, adventum Christi futurum ante hæc tempora, & mortuos tum resurrecturos & quæ alia contra Scripturam hic docent Chiliaстæ. Meritaque ignoratio Elenchi in hoc Argumento fese prodit. Nec etiam particularem resurrectionem inferent dicta Es. xxvi. 14. 19. cum potius in v. 19. iidem denotentur mortui qui in v. 14; tota enim hæc pars capitis agit de calamitatibus Judæorum præsentibus. Illi quippe dicuntur jam quasi mortui propter tot miseras at v. 19. dicuntur tandem vitam adepturi cum sc. Deus ex miseriis eos eripiet, & cadavera eorum resurrectura dicuntur h. e. ipsi in pristinum felicitatis gradum tandem erunt reddituri. Probo hoc inde quoniam v. 19. opponitur versui 18. (Si enim versui 14. opponeretur, illi subjungendus fuisset) At versus 18. agit de calamitate Judæorum, Ergo v. 19. ager de redditurâ eorum felicitate.

CXXVIII. Missis itaque illis quæ in §. 19. Animadv.